

quod delectat in cœlo. 2. Meditationi jungenda lectio librorum factorum. ~~Amo~~ scri-
turarum studia, & carnis vita non amabis.
S. Hieron. ad Ruff. de viv. form. 3. Lectioni
jungenda frequens auxilij Divini imploratio,
ut sciri, quoniam aliter non possem esse conti-
nens, nisi Deus det, adij Dominum, & depre-
catus sum illum, & dixi ex coris precordijs
meus Sap. 8. v. 21 ait Virorum sapientissimus
vitio hoc factus stultissimus. 4. Sedulum lite-
tarum studium, & accurata otii fugi otia se-
tollas, periére Cupidinis arcus. Ovid.

Q. 5. Quod remedium ex parte persona-
rum, & rerum? ⁶⁵ Bz. hoc vel maxime item esse
in cauta, & circumspecta conversatione, de
qua sit

C A P U T V.

De modo conversandi.

Q. 1. Quotuplex fit conversationis genus? ⁶⁶
Bz. id triplex esse; *utile* nimurum, *peri-
culosum*, & *noxiūm*. Primum pastorem o-
portet querere, alterum, & tertium studiosè
vitare. Pastor omne cum subditis commercium
refugiens, gregi quidem suo infestus non est;
nec tamen etiam pastor est gregis sui amans:
quo fit, ut nec ipse vicissim ametur à gregi;
quod omnino necessarium est, ut ille ad virtu-
tem ardenter incitetur.

Q. 2. Quomodo Pastoris conversatio utilis fit ⁶⁷
futura? ⁶⁸ Bz. si Pastor in omni conversatione
dilig-

diligenter curaverit, nè sui observantiam, & reverentiam convertiendo amittat, quod fieret, si nullis non conventiculis adesset, nullum non ad convivium invitatus accederet, nullis non in circulis fabularetur: hoc enim pacto illud citò sequeretur, ut non plus estimateur, quam de vulgo quilibet: facile contemnitur clericus qui saepe vocans ad prandium, non recusat. Hieron. ep. 2 ad Nep. de vita cleric. c. 23. Si Clerici assidui sint, & maximè in convivio, ludo, ac joco, enervant gravitatem virilem. Titulus accedendi convivij charitas est, & dilectio ordinata. Fieret id etiam, si coma, vestitus, agendique modus sacerdotalem redolerent. Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam exquisitus. Indutus fit Clericus vestimentis non preciosis, sed communibus, ut honestati & necessitatii nihil desit, nihil accedit nitoris. Ambr. l. i. off. aut si armorum gestator, vel ludo praesertim chartatum, & alearum deditus (quod utrumque per Canones interdicitur) conspiceretur. Amplius id eveniret, neque absque scandalo, si choreis etiam domesticos inter parietes adesset, cauponas adiret, praeterquam in longiore itinere constitutus.

68 Q. 3. Quæ Pastoris conversatio dicenda sit periculosa? R. illam esse, quæ habetur cum personis alterius sexus, intentione quidem non prava, non tamen ejusmodi, quæ ad tol-

collenda pericula sufficiat. *In medio mulierum noli commorari*, monet Divinus Spiritus Eccl. 2. v. 12. Si post labores relaxamentum quartatur hic quarete omnino tutum non est, necessitas unicus propè titulus videtur conversationem hanc tutam reddendi, servata insuper in illa verborum, & gestuum gravitate, vita tisque iis, quæ familiaritatem majorem, affabilitatem, & blandimenta sapiunt. Tametsi personæ forent, quibuscum agitur, vel in speciem, vel re ipsa magis religiosæ. Prodit ex fœmina etiam bona iniquitas, ut ex pura tinea. *De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Eccli 42. v. 13. minus non raro damnum accipit vir ex commercio cum viro nequam, quam ex commercio cum fœmina, etiam bona. Unde ad rem idem sapient. v. 14. *melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Quam facile evenit, ut juvandæ, servandæque unius animalia specioso praetextu pereant duæ. *Sic stulti estis, ut, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummenni,* verba sunt Apostoli ad Galat. 3. v. 3. *fœminam, quam videris bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentia.* D. 32. c. *hospitiolum.* Quod si ipsa charitas postulet invitare fœminam, invisi potest, sed raro, nec cum longa mora, loco aliorum oculis exposito, nec unquam absque arbitrio, qui visu saltē adsit. Sic Carolus Borromæus, illustris sanè Pastorum Idea, nè sorori quidem sine arbitris loqui volebat. *Magna pars peccatorum tolle*

biter, si peccatoris testis assistat. Seneca ep. 12.
Cautelæ hæ tametsi necessariæ non forent ad
 vitanda pericula, necessariæ tamen sunt ad tu-
 endam famam, quæ nulli non pastorum cum-
 primis est necessaria. Oporteret autem & illum
 testimoniū habere bonum ab his, qui foris sunt
 1. ad Tim. 3. v. 7. Providemus bona non solùm
 coram Deo, sed etiam omnibus hominibus. 2.
 Col. 18. v. 21. Due res sunt conscientia & fa-
 ma; conscientia necessaria tibi, fama proxi-
 ma iuso. Seneca ep. 11.

69 Q. 4. Quæ conversatio dicenda est noxia? **v.**
 illam esse, quæ institueretur cum personis, quæ
 non periculorum tantum, sed & lapsum causa
 sunt. Magis verò illam, quæ domi fieret, inibi
 personas tales servarum fidelium, aut notarum
 titulo alendo, & servando. **A**ncillas juvenes
 habere in ministerio, & præter usabulum nu-
 priarum omnia esse matrimoniū, probrum cen-
 set Dalmata Purpuratus D. Hieron. scribens ad
 Rusticum. Magnes, qui ferrum paulò longius à
 se remotum penitus non movet, propinquum
 toto impetu stringit, amplectitur, & xgrè ad-
 modum à se divelli patitur. Hinc multis omni-
 no Pontificum, Synodorumque decretis ju-
 bentur Clerici procul suis ædibus habere fos-
 minas suspectas. De cohab. cler. & mul. c. in-
 hibendum. c. si quisquam. c. clericos. c. à no-
 bis. D. 81. c. si quis c. oportet. &c.

70 Regulam pro triplici hac conversatione ut
 Clericis, ita præprimis animarū Pastoribus com-
 pendiosè præscribit Trid. Sess. 22. derefōr. c. 1.
 ubi

abi sic: Nihil est, quod alios magis ad pietatem,
 & Dei cultum assidue instruat, quam eorum
 vita, & exemplum, qui se Divino ministerio
 dedicarunt. Cum enim à rebus saeculi in altiore
 sublato locum conspiciantur, in eos tanquam spe-
 culum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque su-
 ment quod imitantur. Quapropter sic decet om-
 nino Clericos, in forem Domini vocatos, vitam
 morésque suos omnes componere, ut habitu, ge-
 stu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil
 nisi grave, moderatum, ac religione plenum pre-
 seferant; levia etiam delicta, qua in ipsis maxi-
 ma essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis
 afferant generationem. Cum igitur, quo majore
 in Ecclesia ornamento hæc sunt, ita etiam dili-
 gentius sint observanda, statuit Synodus, ut quæ
 alias à summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs
 de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinā
 que retinenda, ac simul de Ius, commissatio-
 nibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque
 criminibus, nec non secularibus negotijs fugi-
 endis, copiose, ac salubriter sancta fuerunt,
 eadem im posterum eisdem poenis, vel majoribus
 arbitrio Ordinary imponendis, observentur; nec
 appellario executionem hanc, quæ ad morum
 correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò
 ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea
 quam primum in usum revocari, & ab omni-
 bus accurate custodiri studeant, non obstante
 consuetudinibus quibuscumque, nè subdito-
 rum neglecta emendationis ipsi condignas Deo
 vindici poenas persolvant.